

pueri, adolefcentes, juvenes, ad trigefimum, alicubi ad quadragesimum & amplius ætatis annum: quia hi non altum sapiunt.

sceminae
vulgus,

186. Fœminæ, dimidia humanae gentis pars, à Jure naturæ agnoscendo arcendæ omnes; iis enim plerumque altum sapere non datur, nisi excipias paucas Amazonas, quales etiam hodie regnare videntur.

cum ex-
ceptione.

187. Eamus ergo ad heterodoxos, parvum numerum. Ex illo quoque omnes altum non sapientes, Jus naturæ ignorare necesse est, quia auctoritatem sequuntur, & sequi tenentur.

Solius infal-
libiles
non essent
vulgus.

188. B. Tertio. Altum sapientes ita quidem, ut sola ratio iis SUFFICIAT, ad Jus naturæ omne agnoscendum mihi videntur ii, qui in eo agnoscendo errare nequeunt. Nam si possunt errare ratione, ratio meherele non sufficit. Talem virum peto mihi hic sisti, ac produci in medium, non dico ex millibus unum, sed ex toto genere humano, quod fuit, est, & erit. Eum certatim adora-

bimus omnes, certi, hunc esse DEUM.

189. B. Quarto. Wolffio contra videtur altum sapere Dominus Wolffius, qui ipse docendos in Jure naturæ suscipit etiam illos, qui aliis Jus naturæ auctoritate præscribunt. Qualis autem est Dominus Wolffius? Errare non potest. Hoc de se ipse edicit. Supra Num. 70. Vid. *Larva detracta* Cap. XVI. Init.

190. *Excusatio Quinta.* In Num in-quiunt forte, Jura naturæ à nobis scripta ex sola ratione, non eo pertinent, ut ea sola in vita ferventur, quæ sola ratio seclusa auctoritate agnoscit: sed ut agnoscat, & inquiratur, an leges civiles sint in ratione fundatæ?

191. *Primo.* Respondi his plura in *Jure natura* à me descripto. Jam quæro, quis debet eam inquisitionem facere? Docti? at illi hanc fecerunt dudum in sacro & profano Jure, antequam heterodoxi isti nascerentur. Heterodoxi autem dicunt, ea, quæ ipsi docent jam, à nostris doctoribus fuisse igno-

quirendum, an leges sint in ratione fundatæ?

Quis debet hoc inquirere?

Docti? qui hoc dudum sciverunt;

neque hoc quærunt

hetero-
doxi,

ignorata: Nostri doctores non ignorarunt, leges in ratione fundari: Ergo quod heterodoxi jam docent, & faciunt, non consistit in hoc, ut pervideatur, an leges in ratione fundentur. Ergo consistit in aliquo alio occultiore fine: quem sæpius jam prodidimus.

sed aliud.

Indocti
hoc po-
tius faci-
ent,

192. *Resp. Secundo.* An vero hæc inquisitio pertinet ad indoctos, hoc est ad partes humani generis nongentas nonaginta novem ex quolibet Millenario? Et quidni pertineat ad ipsos? quia *Rationem* habent quamvis sine his magisteriis: Ratio sola sine magisteriis sufficit: Ergo si Juris naturæ labor est inquisitionem in leges facere per rationem *solan*, faciet illam, quisquis rationem *solan* habet. At vulgus *vere solam* rationem habet sine magistrorum multiplici amictu. Igitur ad vulgus ea inquisitio potius spectat, quam ad doctos, apud quos ratio sola jam non est.

Sed magi-
stratibus
hoc peri-
culosum
erit.

193. *Resp. Tertio.* Quodsi vulgi est inquirere in rationem legum, periculosa magistratibus, & Principibus fa-

ba cuditur. Quodsi enim non penetret aliquis in rationem legis; servabitne eam! Tanta autem hominis pars in rationem legum non penetrat: Docti rursus non penetrant, sed inter se præliantur, & excusandi semper plures rationes inveniunt: qui ergo tandem servabit leges, quis imperata magistratum faciet? Præsertim si jam ab adolescentia ad hoc instruantur, & incitentur. Si deinde falsis jocis leges præcipue sacrae apud ipsos traducantur. Vid. Num. 101, & Num. 204.

194. *Excusatio Sexta.* Jus naturæ, & ratio sola tantum debitam, ad hoc spectant, ut intelligamus, an hoc vel illud esset præceptum? Quod sit naturæ, & ratio sola tantum debitam, ad hoc spectant, ut intelligamus, an hoc vel illud esset præceptum? Quod sit officium, etiam si non esset præceptum? ad hoc eognoscendum debemus carere omni auctoritate humana, & divina, ipsaque DEI existentia cognitione possumus carere, imo & negare ens primum.

195. *Resp. 1.* De hoc in *Larva detracta* Cap. XVI, egimus contra D. Wolffium.

196. *Resp. 2.* Quid deinde fiet, si hoc sine ulla auctori-
ad fictio-
nem redu-
citur.

toritate etiam docente possibile sit nobis, ut nunc sumus? nempe sciemus, quid incumbat homini à DEO non creato, vel alii fictitio. Et hoc tantos clamores meretur de utilitate, & necessitate hujus Juris naturæ?

197. *Resp. 3.* Suntne multa ejus generis officia, necessaria nostro statui, & nondum præcepta? Proferant ea; fortasse persuadebunt magistratibus, ut præcipiantur. Si ea autem jam præcepta sunt, fervemus ea. Vitemus idololatriam, bigamiam &c. non video, quem usum *reipublicæ* ferat, scire, idque ratione sola adhibita, an esset abstinendum ab his, si non esset vetitum; nisi hunc, ut qui rationem præcepti non assequitur, & aliquam rationem contra invenit, fiat idololatra & bigamus. Puffendorffius certe in Præfatione Juris naturæ ait, *Vulgus auctoritatem sequi, quia rationem non invenit, qua auctoritatem convellat.*

Ob Cathedralium in scholis

198. *Excusatio septima.* Principium solius rationis neutiquam tangit vitam, neque internam neque exter-

nam, & agenda seu officia distincta humana in praxi: sed scholasticam. las tantum, & speculationem in praxin non deducendam, nimirum ne scientiarum & Professorum in Academiis termini confundantur. Hac ratione ea omnia officia hominis, quæ sola ratione absque auctoritate tam præcipiente, quam docente cognosci possunt, pertinebunt ad professorem Juris naturæ primum Puffendorffium, ejusque posteritatem. Quæ ex decoro tantum veniunt, tractabit Professor de la Bienfaisance, & sic de aliis.

199. *Resp. 1.* Prolixe non est hunc pedantismum percribravimus in *Larva detracta* & *Jure natura.* opus tanto tumultu

B. 2. Hunc in modum angusta sane erit Cathedra Juris naturæ, quia nihil est, quod in moderno, quo sumus statu sola ratione, seposita omni auctoritate, agnoscimus, nedum subtiliter adfundum perspicimus. Ceterum movebit quæstiones extravagantes: quia utiles & necessariae ratione, auctoritateque conjunctis sunt hactenus solutæ, & deinceps solventur. Paucissima ad tale jus pertinent.

tur. Movebit nempe Professor Juris naturæ: An liceat in lunæ mari navigare? An liceat homini volare? An tria corpora sibi in unum jungere, ut ceteris fortior evadat? An, si non datur DEUS, liceat solem in manica abscondere?

An ratio sola sit criterium Juris naturæ?

200. *Excusatio Octava.* Heterodoxi non dicunt, ad Jus naturæ practicum agnoscendum sufficere rationem solam in universum. Si enim hoc vellent, non diceret Puffendorffius & Wolffius, rudes in Jure naturæ practico, stare DEBERE auctoritate aliorum. Non ergo excludunt heterodoxi auctoritatem in universum à Jure naturæ practico. Sed supposita in praxi auctoritate volunt tantum indicare differentiam inter Jura ab ipsa natura constituta, & inter Jura constituta ab homine. Nam Jura naturæ esse ea, quæ cognoscimus sola tantum ratione adhibita, nulla auctoritate neque divina neque humana. Jura vero humana sunt, quæ ratione forte nostra non inveniret quisque in particulari, sed agnoscit ea ex scriptura, legibus,

statutis. In exemplo. An bigamia sit Juris naturæ prohibentis, an vero humani, an divini positivi, an politicæ tantum, an honestatis, an decori, an res prorsus moraliter indifferens & Oeconomica tantum climati tribuenda? Ad hanc quæstionem resolvendam, seu ad hoc cognoscendum ac dignoscendum inter se, opus esse variis Principiis, seu criteriis. Utrum bigamia sit Juris divini positivi, cognoscitur ex testibus, cum sit res facti, itaque consulendum esse, si quod detur, oraculum, aut librum divinum, aut hominem inspiratum, nempe criterium hujus agnitionis est auctoritas. Rursus, utrum bigamia sit legis humanæ, v. g: Romanæ, itidem exquirendum est ab auctoritate teste, cum sit res facti: nimirum intelligitur hoc ex Codice, aut prætore. Utrum vero bigamia sit à Natura ipsa præcepta, vel justa vel injusta, requirendum est ex solo intellectu hominis, in quem nulla influat auctoritas humana neque divina, nulla scriptura, nullius alterius hominis dogma, vel præceptum, neque DEI revelata.

Exemplum in Bigamia.

velatio, neque ullius entis superioris voluntas, ut D. Wolffius loquitur.

Pro statu 201. Resp. 1. Hoc esse imaginario servit. ipsimum, quod hactenus persequor, in statu aliquo imaginario & fictitio hominum posse habere locum, non autem in nostro.

Bigamiae 202. B. 2. Ponamus uno iustitia ex nudo intellectu momento, id etiam convenire moderno statui, & modo ex nudo illo intellectu cognosci posse iustitiam vel iniustitiam bigamiae. Eja agite, edicite nobis, estne bigamia Juris naturae permittentis, prohibentis, praecipientis? Fuere nostra & Patrum memoria heterodoxi, qui dicerent Jure naturae iustam esse polygamiam: alii iniustam dicunt: uterque abstrahunt ab omni auctoritate divina atque humana: uterque solo ac nudo intellectu tanquam proprio hujus quaestionis criterio utuntur. Auctor spiritus legum polygamiam dicit inutilem generi humano; ex circumstantiis tamen posse nonnihil tolerari: nimirum si circumstantiae eam utilem reddant. Hinc capite alio dicit, Polygamiae

legem esse negotium calculi. Nimirum ut lex de polygamia, sive ut Jus statui possit, fundamentum est Calculo petendum. Si quod clima plures feminas quam mares gignit, lex polygamiae vi calculi fertur. Quia tunc utilis est polygamia; magna est enim inutilitas generi humano, si vel unica femina remaneat inupta. Igitur si mille feminae in aliqua natione supersunt ultra numerum marium, illas mille feminas debet ducere unus rex, aut per manipulos distribuendae erunt inter aliquot viros.

203. Solus ac nudus intellectus de Jure naturae contraria asserens, quomodo est criterium Juris naturalis? An intellectus affirmans est verum criterium, an intellectus negans? An debet prevalere intellectus plurium hominum praepaucioribus? Sed hoc ipsum jam non subsisteret sine auctoritate; cum enim non ratione, sed pluralitate suffragiorum decernitur, criterium est majoritas & superioritas quaedam, hoc est auctoritas, quae tamen ad criterium Juris naturae admit-

admitti nullo modo debet ex istorum praepcepto.

Cujus enim hominis intellectus decidet?

204. An vero prevalebit ille intellectus, qui scientiis Ontologiae, Psychologiae & ceteris omnibus est magis instructus? Sed cum primis haec scientiae suspectae debent esse in hoc negotio, quia in nobis generatae sunt auctoritate, & pondus auctoritatis semper secum ferunt; id quod heterodoxi objiciunt nostris, tanquam Aristotelicis momentis in Jure naturae moveantur, non puris rationibus. Deinde experientia fere repugnat, cum videamus eos a natura saepe abhorrentia docere & facere, qui maxime pure rationi ab auctoritate semota student. Omnium nationum Graeca maxime incubuit studio scientiarum sive abstractae puraeque rationi; & vitia contra naturam huic maxime nationi imperarunt, ut Idololatra multiplex, Paederastia, sororum connubia aliaque pro licitis, justis, bonis habita. Vid. Num. 192. &c. & 101. & Num. 64.

205. B. Ad extremum qui velit ingenio cedere nullus erit. Is qui scientiis scholarum im-

butus est, dicet, suum ingenium prevalere, quia ex cultum, auctum, regulatum methodo praefertim Wolffiana. Contra qui his scientiis caret, dicet, rationem suam esse naturalem, liberam, non praepoccupatam praepjudiciis scholae neque Aristotelicis neque Wolffianae neque Platonicae. Et quod singuli homines dicunt, dicent etiam integras nationes. Quod autem in hac ingeniorum contentione certum & innegabile est, facile patet: nimirum omnem intellectum humanum sive purum, sive scientiis imbutum sive liberum, esse in unoquoque admodum lubricum, ancipitem, in errores pronum. Ex quo conficio ego: hunc intellectum solum ad veram solidamque iustitiam inveniendam non sufficere. Adversarii autem ex eo conficiunt, Rationem sive intellectum humanum solum sufficere ad iustitiam veram & originariam nempe naturalem inveniendam. Uter nostrum meliorem, verriorem ac justiore sententiam dixerit, id iudicium relinquo tum omni hominum generi, tum generis auctori ac moderatori Numini.

neque non scientifici.

Auctori-
tas aliqua
fallibilis
est,

206. *Instabis.* Idem omnino dici potest de auctoritate, si ea pro criterio Juris naturæ assumitur. Cum enim auctoritates inter se discrepent, & fallibiles sint, non sufficit Auctoritas.

non om-
nis.

207. *Respondeo* concedo totum, & dico, auctoritatem solam sine ratione non sufficere pro nostra moderna hominum conditione, nisi cui forte DEUS in casu singulari auctoritatem suam adhibeat, quemadmodum Saulo persecutori videtur fecisse: huic enim Saulo auctoritas DEI sola suffecit sine prævia ratione. Nam DEO illi hanc potestatem in voluntates nostras flectendas non possumus denegare, qui habuit potestatem easdem voluntates totas, quantæ sunt, ab initio & de novo creandi. Non dixit Paulus tactus divino impetu, Domine *ratione sola* ostende quid faciendum sit, & Mathematica methodo, ut sim certus ne peccem! Sed, quid me *vis* facere? *Voluntas* tua tanquam entis superioris auctoritas mihi sufficit, quid quid jubeas etiam contra ea, quæ hæcenus ratione

mea convictus sequebar & in aliis cruentus persequebar.

208. *Urgebis* adhuc, me ipsum supra Num. 131. dixisse, adhibita ratione, adhibitis legibus, adhibita religione & auctoritate seu revelatione divina moderna, etiamnum nos posse in justo definiendo interdum errare. Igitur neque auctoritas ulla conjuncta etiam cum ratione sufficit semper ad agnoscendum Jus naturæ moderno statui reali conveniens.

Ratio
etiam
cum au-
toritate
fallibilis
est,

209. R. 1. Id ego dixi & adhuc confiteor. Sed & huic objectioni jam ibidem respondi Num. 138. &c. Sufficiens nostra ex DEO est, fallibilitas ex nobis. Aliter si essemus affecti, non essemus homines modernæ conditionis.

210. R. 2. Quamvis una cum subsidio auctoritatis etiam divinæ maneamus adhuc interdum in agnoscendo justo fallibiles quoad nos, hæc tamen fallibilitas quasi infinites minor est, quam illa quæ laborat ratio auctoritate hac destituta. Sicut enim homo maturus, expertus, adjutus præceptis, for-

Sed longe
minus.

matus legibus, actionibus prudens factus, & doctus uti D. Wolffius longe minus obnoxius est erroribus in agnoscendo justo naturali committendis, quam puer decem annorum his administriculis destitutus: Ita homo doctus à DEO, ejus vocem atque legem, sciens eaque utens longe minus obnoxius est errori in justo naturali agnoscendo, quam alius sola ratione utens, revelatione abjecta. Jam Heterodoxi jura naturæ scribunt, profitenturque se in ea non admittere nec ab aliis admittendam esse revelationem DEI, ullamve auctoritatem: Contra Theologi nostri Jura naturæ pertractant ratione, rationem tamen instrunt revelatione. Igitur Jura naturæ heterodoxorum longe magis sunt errori obnoxia, quam jura naturæ Theologorum nostrorum. Excipio hinc illos etiam Theologos, qui hinc inde plus suæ rationi tribuerunt, quam revelationi: nam hi quoque in multas erroneas doctrinas etiam juris naturæ prolapsi sunt, quorum propositiones sive sententiæ debere damnari.

Igitur Jus
naturæ
heterodoxorum,

pejus est
jure no-
strorum.

211. R. 3. Auctoritatis Auctori-
exclusores debent fateri, so- tatem ex-
lam rationem esse fallibilem, cludentes
adeoque non sufficere. Au- rationi
toritatis obsequiosi id ipsum erranti
debent fateri, quamvis im- subsidia
pare, ut diximus, gradu. In- præci-
dunt.
sufficienciæ omni quærenda
est aliqua sufficiencia & com-
plementum. Auctoritatis ex-
clusores non possunt pro
subsidio petere auctoritatem
ullam, aliàs nobiscum sen-
tient; sed tantum rationem
possunt petere, nempe id
ipsum quod est fallibile. Con-
tra nos insufficientiæ nostræ
petimus subsidium ab illo ip-
so, qui etiam rationis totius
est auctor. Is se nobis cer-
titudine summa potest com-
municare etiam deinceps, si-
cut hæcenus communicavit
in plurimis.

212. *Instas* iterum. Ergo hoc ipso, quod aliquid revelatum, erit statim Juris naturæ.

213. R. 1. Huic objectio-
ni Respondi in *Jure natura.*

214. R. 2. Consecutionem non inficior. Hoc ipso enim quod DEUS Revelaverit Abrahamo, mactandum esse

Quod re-
velatum
est, est
juris na-
turæ.

Isaacum filium, Abrahamus certo cognovit, mactationem hic & nunc esse juris naturæ. Imo in jus naturæ peccasset, si decrevisset non parere DEO. Revelationis enim vis non est pondere humano libranda, nec dicendum; Unde scivit, revelationem esse veram! Scivit hoc ex ipsa revelationis vi, quæ convictionem secumtulit; aliter quam revelationes & præcepta humana. DEUS hoc potest, intellectus conditor; homo non potest.

215. Deinde quod in principio Juris naturæ à me descripti palam proposui, nunc denuo propono.

Peto mihi ex sola nuda ratione, quæ nulla auctoritate ad decisionem agnoscendam adjuta fuerit, decidi hanc quæstionem. AN EST JURIS NATURÆ, UT PATER OCCIDAT SUUMMET FILIUM?

Hac, quæ facilis videtur, quæstione ex sola ratione decisa, supererunt multæ aliæ, in quibus sudandum erit *Solipsorum* nationi,

216. *Objicit* denique Heineccius. Ex his sequitur, quando agitur aliqua controversia cum Japanibus aut Sinensibus, v. g. de Commercii, & bellum ea causa exardescant, rem componi debere ex S. Scriptura. Nam sic arguitur; Cum Japanibus agendum est jure naturæ: at Jus naturæ est in sacra Scriptura, vel ex S. Scriptura intelligitur: Ergo cum Japanibus agendum est ex S. Scriptura. At hoc est absurdum: ergo & nostra doctrina, unde hoc sequitur.

217. R. 1. Major propositio, agendum esse cum Japanibus Jure naturæ ad rem nostram est tantum materialis, non enim magis cum Japanibus quam cum Christianis agendum est jure naturæ. Jure enim naturæ tam hi quam illi debent agere cum omnibus; quia rationes generales & simplices non possunt abstrahi à compositis & particularibus, in statu reali & existentie, ut supra exposuimus. Num. 155. &c. Cum ergo Iapanes nominat Heineccius, ejus argumentum non magis stringit, quam si Christianos, aut Hispanos nominasset, ac dixisset: Cum Italis agendum est Jure naturæ: at jus naturæ cognoscitur ex S. Scriptura. Ergo cum Italis agendum est ex S. Scriptura. Hoc autem non est absurdum: ergo nec absurdum est id cum Iapanibus. Quia Iapanes sint, an Itali nihil importat ad hoc, ut jure naturæ cum iis agi debeat.

Ex ratione nuda nihil fit in jure naturæ controverso.

Exemplum Furti morte puniendi.

spanos nominasset, ac dixisset: Cum Italis agendum est Jure naturæ: at jus naturæ cognoscitur ex S. Scriptura. Ergo cum Italis agendum est ex S. Scriptura. Hoc autem non est absurdum: ergo nec absurdum est id cum Iapanibus. Quia Iapanes sint, an Itali nihil importat ad hoc, ut jure naturæ cum iis agi debeat.

218. R. 2. Adhæc controversia inter populos plerumque de ipso jure naturæ est, sive an populus naturæ liber teneatur alteri, sitque debitor & jure subiectus quoad id quod controversum est? Igitur decisio ex jure naturæ simplici peti non potest. Sicut in minori exemplo si in nostra republica dubium inter doctos, vel etiam inter judices oriretur, num jure naturæ furtum puniri possit poena mortis, hoc ipso quod sit doctorum & rationis controversia, ea componi nequid ex ratione eorum, qui litigant. Litigantes enim litigant, non componunt. Sed compositionis vel decisionis medium aliunde quam à litigantibus sumi debet. Inspeculo enim Codice, & fere omnium gentium legibus &

usu, cognoscitur ex sensu hoc communi tanquam præcipua quadam auctoritate, posse puniri, nec juri naturæ hoc esse difforme: miraculi enim instar essent, si adeo à natura deficerent.

219. R. 3. Controversiæ igitur gentium, qualis esset hæc Iapanum ab Heineccio objecta, decidi debent jure gentium, ac foro gentium, ac motivis huic foro propriis; de quibus nos in *Jure gentium* à nobis utcumque descripto, Cap. III. Them. VII. seqq.

220. R. 4. Omiffa autem majore propositione, minorem plane amplector, nempe in S. Scriptura esse jus naturæ, & hoc ex eadem intelligi. Neque ego solus hoc dico: sed dicunt id etiam heterodoxi, quod in Larva detracta exposuimus. Hoc discrimine, quod ego velim ex scriptura hauriri quæ illa sunt; illi contra hoc ventent.

221. R. 5. Consequens etiam admitto pronus, nempe cum Iapanibus agendum esse ex sacra scriptura; quamvis consequentia ab Heineccio non nimis bene sit facta,

ob materialitatem majoris mox indicatam. Nimirum is qui S. Scripturam habet & intelligit, debet ex illius præceptis moralibus agere, erraturus & peccaturus, ni agat. Nam in scriptura sacra est *Jus nature*: Jure naturæ agendum est cum gentibus: Igitur cum gentibus agendum est ex scripturæ sacrae placitis, & secundum legem Christianam.

exemplo Hispanorum & Americanorum.

222. R. 6. Hoc autem absurdum dicere, mihi videtur absurdum. Heterodæxi non videnter sibi absurdi esse, quando in Hispanos invehuntur acerbius propterea, quod cum Americanis gentibus aliter egerint, quam Christiana lex præcipiat, ut quidem existimant aliqui. Ponamus inter Batavos & Iapanes esse inimicitiam. Sumant Batavi legati in manus sacram scripturam, sumant eandem legati Iapanenses: legant illic præcepta ignoscendi injurias, reddendi debitum, periculum animæ, DEI judicium, caducitatem rerum terrenarum. Poteruntne legati ex his præceptis inimicitias componere? Compositio eritne absurda?

223. *Objicis*: Hæc præcepta serviunt ad agendum cum Iapanibus non *ideo*, quia sunt in hac scriptura, sed quia sunt *ratio ipsa*.

224. R. 1. Accipio conditionem. Hæc præcepta sunt in scriptura seu revelatione: ergo in revelatione inest ipsa ratio.

225. R. 2. Abstractio deinde illa causarum & reductione ad realem actionem nihil facit, & est *pedantismus*: quod statim apparet argumento inverso. Iapanum aut Sinensium legati in congressu proponant sententiam aliquam ex Confutio, v. g. Animam fœdari ac depravari injusta detentione rei alienæ, ut quæ se subdat rei infra se positæ. Excipiat legatus Batavus, hoc quidem verum esse, non tamen ideo, quia Confutius dicat: nolle se ex Confutio agere cum Sina. Nunquid recte Sina reponet, hanc esse otiosam abstractionem & *pedantismum*? Se hoc ex Confutio didicisse, sufficere sibi, ut Batavus Confutii placita negare non audeat: itaque Confutium & Batavos & Sinas communibus uti principiis, secundum

Num *ideo* scriptura serviat quia scriptura?

Est pedantismus otiosus scholæ.

cundum eaque tractare posse ac debere. Vid. Num. 150. &c.

226. R. 3. Neque simpliciter verum est, hæc principia S. Scripturæ ideo servire ad jus naturæ, quia sint *Ratio* simpliciter. Nam ejusmodi legati multa invicem dicent, quæ cuivis eorum sint pro *Ratione*, & *ratio* videantur; quæ tamen ad componendum non serviunt, quia alteri eorum non videntur tales. Itaque non quævis ratio sed *Communis ratio*, *Communis sensus* convincit. *Communis* autem sensus magnam partem in *authoritate* versatur, quod in *Larva detracta* asseruimus: & in *Præjudiciis præjudicio* majore reprehensis. Et communis sensus vel maxime in S. Scriptura apparet, ab auctore sensus manifestata pro omnibus, non pro Europæis tantum.

S. Scriptura est ratio ipsa & sensus communis.

CONCUSIO.

227. **E**x hucusque expositis & ex *Larva* etiam *detracta* non obscure colligitur, totum finem scribendi Jus Naturæ & illud deprædicandi fuisse heterodoxis ut Religionem Catholicam ex

animis, populis, Europa, totoque *hominum* genere exturbent.

228. Ea de causa non dubitant etiam suamet Protestantica principia fusdequevertere, ut Catholicos secum trahant in ruinam. Alias enim *solam scripturam* semper clamabant. Nunc *solam fere scripturam* abjiciendam volunt, & vitam erga DEUM æque ac homines ordinandam esse *sola ratione*, contendunt.

229. Acuti enim homines facile opinantur, hoc principio admissio, religionem Christianam necessario ex hac vita nostrorum hominum paulo post cessaturam.

230. Nam si moderni homines pro quibus ipsorum naturæ jus scriptum est DEUM amare, ei credere, in eum sperare, eum colere sic, ut scriptum est in sacris litteris, & præcipitur ab ecclesia non debent, sed tantum ut jubet *sola ratio*, statim omnis divinus cultus, fides, religio Christiana cessare in hac saltem vita debent.

Quo deinde sublato ipsi incipient Jus naturæ longe ab his diversum scribere: Tunc, nempe Catholicum excidium accuti,

cuti, dicent: *Jure naturæ* homines obligari ad credendum diligendum, agendumque non tantum quæ *sola ratione* bona cognoscuntur, sed quæ auctoritate præcipua constant in libris symbolicis, Confessione Augustana, Catechismo Heidelbergensi &c. Quemadmodum enim nunc Scripturam Sacram ex *Jure naturæ* eliminant, ut Catholicæ religioni officiant, quamvis antehac Scripturæ soli primas in vitæ regula detulerint: sic deinceps Rationem solam, cui nunc totum tribuunt in *Jure naturæ*, ex hoc *Jure* ejicient, ut suum errorum dominantem reddant.

231. Verum Dei optimi maximi permisso factum est, ut idem principium *solius rationis*, quo extinctum iri Catholica sacra omnia sperant, æque sit aptum ad turbandas, extinguendasque respublicas, Magistratus, leges auctoritatem denique qua respublicæ constant & magistratus & imperia & leges. Cum igitur hi scriptores præcipue Principes & magistratus instigent ad ejiciendam Catholicam religionem è republica, ut quæ respublica sola ratione ac *Jure naturæ* regenda sit: Sentient aliquando principes, sibi potius è republica ejicienda esse *Jura naturæ* heterodoxa & larvata; quia si *Jus naturæ* regit respublicam, & *Jus naturæ sola ratione* constat, exclusa auctoritate humana ac divina atque adeo

exclusis legibus, magistratibus & Principibus; sequitur, Principibus ad suam auctoritatem in *Jure naturæ* & republica tuendam necessarium fore, *Jus ce-rebrinum heterodoxum* in exilium mittere, & Religionem Catholicam auctoritatis tutricem sollicitè conservare.

232. Ad hæc in luce ponenda siquid scriptione hac parva contulimus hætenus nos, & si vera diximus, si rei publicæ proficua, meritis humanis præsertim Germaniæ conservandis idonea, animis dum vivant, id est, æternum salutaria, Deo denique Optimo, Maximo Sanctissimo digna, ejusque creaturis & conditioni illarum ab ipso data consentanea, adoremus illius majestatem, cui verum ac bonum omne transferimus alacri quidem mente sed æternum subdita. Sin erravimus, minusque vera quandoque protulimus, homines fuimus, quibus *ratio sola* & nequidem auctoritate multa sustentata sustentat. Scribant & doceant erroribus siqui sunt meis contraria illi, qui errare nequeunt, & qui ex alto nos despiciunt, quorum superciliis est à natura ipsa iniustum principium principiorum hoc:

RATIO SOLA SUFFICIT:

Cui nos humiles experientia magistra parvum addemus lemma hoc:

AD ERRANDUM,

J. O. G. D.

REGNUM RATIONIS HODIERNUM NIHIL PRÆSTANTIUS ESSE VETERE.

*Minimus digitus meus grossior est dorso patris
mei.* III. Regum XII. v. 10.

AUCTORE

P. ANSELMO DESING, O. S. B.
Professo Ensdorf. Congr. Bavar. Eminentiss. Card.
Principis Passaviensis Consiliario.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

*Pedeonti, vulgo Stadt am Hof, prope Ratisbonam,
Apud JOANNEM GASTL, Bibliopolam.*

1752.